



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 75. Lotharingus Cardinalis hanc controversiam decidendi auctoritatem sibi arrogans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

lamque profiteretur, quod pietatem spiraret, coram Christi crucifixi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum imaginibus genua flectere, hacque ratione Christum, Sanctosque invocare: ea propter die sexta Augusti eadem Facultas habito conventu circa propositam fopiendæ litis viam deliberabat, Doctoribus unanimi suffragio decernentibus, ut Depensus, absens tamen, interrogaretur, an approbaret, aut reprobari præfatum Scriptum de imaginibus in eadem Facultate a Domino Demouchy prælectum in congregatione superiori de eodem negotio celebrata, quod quidem Scriptum dictus Depensus dicebat sibi datum a Christianissima Regina matre deferendum ad Dominos Deputatos Facultatis Theologicae, qui Christianissimi Regis jussu missi erant ab eadem Facultate ad Sanctum Germanum a Laya.

§. LXXV.

*Lotharingius Cardinalis hanc controversiam decidendi auctoritatem sibi arrogans.*

*Argentre l.c.* Cardinalis Lotharingus nulla habita ratione ad illud scriptum, quod Depensus a se emanatum negabat, Parisiis statuit, ut præfatus Doctor præsentibus Decano, ceterisque Doctoribus in publico Facultatis conventu quamdam



dam schedam ejusdem Cardinalis manu scriptam, ac conceptam prælegeret.

Sæc. XVI.

A. C. 1562.

Paruit lubenter Depensius: cum autem Decanus eundem, ut juxta Facultatis decretum quemdam librum de Sanctarum imaginum cultu componeret, hacque ratione populi offensionem submoveret, hortaretur, simulque eidem Depensio promitteret, quod illum Facultas quantocius ad subscribendam fidei professionem admittere vellet, respondit Depensius: „vobis grates rependo „de vestra admonitione, etsi librum circa „S. Imagines elucubrandi opportunitatem haberem, ad id quoque lubens me offerrem, timeo tamen, ne quibusdam inter vos Doctoribus rem parum gratam aggrederer; nunquam enim nec in Sancto Augustino, Hieronymo, aut Divo Gregorio me legisse memini, Sacras imagines esse honorandas, eisque cultum, aut venerationem esse tribuendam excepta Sancta Cruce: „ita tamen hæc dicta sint, ut me adhuc offeram, prout me obtuli, ad signandos „omnes, & singulos articulos Facultatis, „nominatim decimum sextum, qui est de imaginibus, cujus tenor sequitur, nec ullo modo dubitandum est, quin genuslectere coram Imagine Crucifixi, beatæ Mariæ, & Sanctorum, ad rogandum Christum, & Sanctos sit bonum opus. Itaque a Depensio



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

penſio hac erroris ſui revocatione coram Facultatis Doctõribus facta tota liſ compoſita eſt.

§. LXXVI.

*Facultatis mandatum de ſignandis articulis a ſe propoſitis.*

*Argentre  
l. c. p. 329.  
Vid. l. CXL.  
ſ. LXV.*

**H**oc item anno Facultas aliud urgebat negotium, vi cujus quosdam articulos, quos Anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſecundo, uti jam alibi meminimus, proſcripſerat, a Prædicatoribus, & Magiſtris ſuo chirographo muniri poſtulabat: erant hi articuli numero viginti ſex, quos Franciſcus I. die vigeſima tertia Julii Anno a Chriſti nativitate milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio Lutetiæ Pariſiorum Regiis literis approbabat: porro in iisdem Facultas decrevit, ut omnes Doctores, ac Baccalauri præſatos fidei articulos chirographo ſuo approbarent, ac confirmarent: cum enim, inquit Facultas, in noſtro grege lupos, & immorigeros, contentioſosque alere tutum non ſit, qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præſatis propoſitiones docuerint, aut in poſterum prædicaverint, e noſtro conſortio eximendos in perpetuum privare decrevimus: ceterum quia plerique, contradicendi, & a majorum inſtitutis diſcedendi ſtudio incitati, ac novarum rerum, & do-